



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XLVII. De filia regis Vngarici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

De filia Regis Ungarici.

CAPVT XLII.

Thimon.
 Edit. Canis.
 lib. 3. cap. 43.
 Admontense
 Monasterium
 in Stiria fun-
 datum à S. Geb-
 hardo Archie-
 piscopo Salis-
 burg. Anno
 1075. Hund.
 in Metropoli.
 Vide etiam Vi-
 tam S. Gebhar-
 di Tom. 2. c. 6.
 Antiq. Lect.
 * Qui post Lo-
 tharium II.
 Anno 1139. Re-
 gnum inuit.
 Oratio Bela
 Regis ad Deum
 pro filia sua.

Oratio Bela
 Regis ad Le-
 gatos.

* Reliquiis.
 Apparatus ad
 iter.
 * Quia Admō-
 tense Monaste-
 rium constru-
 ctum erat in
 honore Deipa-
 ra & S. Blasij.

Ed quia beati Belæ Ungarici Regis mentio inci-
 dit, pauca de filia eius *Sophia*, quæ in proposito
 Virginitatis sub sacro velamine inter sanctas Vir-
 gines Admontensis monasterij laudabiliter de-
 git, ad ædificationem narrare incipiam.

Hæc etenim ante annos nobiles petita est in matrimonium
 Henrico puero, Teutonicorum Regis * Conradi filio pri-
 mogenito. Bela ergo cum sæperogatus tandem acquieuisset,
 hanc illi dare, & nuncij pro ea venissent Archiepiscopi & Epi-
 scopi, aliiq; primates de regno Alemaniar, vt iuxta imperia-
 lem magnificentiam clarè ad nuptias duceretur, hoc ordine,
 hac oratione ad sponsalia eam direxerit: *Domine Deus cali &*
terra, tu omnia vides, ego autem nihil video, Tua etenim ordinatione, sicut
voluisti Domine, cæcus factus sum; sed tu vides omnia, vides abditæ cordium,
presentia, præterita & futura indifferenter: Et manus ponens super
caput filiar, hæc inquit: Domine vnica filia mihi est, hac me sola femi-
nea prole in tua miseratione beasti. Hanc hodie, te teste, te inuocato in au-
xilium nostrum, ad nuptias mitto: hanc hodie te comitante, presentibus
nunciis committo, tali fixa inter me, & te, Domine Deus, cōdicione, vt nun-
quam eam deseras. Et, si forte is, qui eam petit filio suo Dominus Impera-
tor Conradus vnquam mali quidquam aduersus eam cogitauerit, tua in
petitione tibi hanc commissam habeas.

Ad legatos autem: *En, inquit, coram vobis est: tollite filiam*
meam: ducite hanc Imperatori vestro. Et quia meã vitã ipsa mihi charior
est, omne, quod iharum vel preciosum habeo, cum ea transmittro. Inf-
stiq; apportari omnia regalia sua, Capellam suam totam cum
** patrociniis Sanctorum, cum vniuersis paraturis, & vtenfili-*
bus aureis & argenteis, cum tentoriis & papilionibus, cum iu-
mentis optimis ad subuectionem rerum; insuper aurum & ar-
gentum absque vlla æstimatione dona genero suo & filiar. Et
*apprehendens scrinium vbi erat * patrocinium S. Blasij, sta-*
tuit

tuit super hoc filiolarum; dehinc ad legatos; *En*, inquit, filiam meam cum patrono suo in hæc verba, vt locutus sum, in nomine Domini vobis præsentio.

Igitur abeuntibus nuntiis, exiit iam Vngaria, cum ad Taurum montem Carinthiæ propinquassent; Imperator Conradus, obuiam eis mittens, ad sacras Virgines Admuntensis monasterij, * *Sophiam*,
spensam. Dominam cum duabus puellis suis interim collocari fecit, donec opportuno tempore solenni habita Curia, conuenienti honestate ad nuptialia Sacramenta vocaretur. Dona verò & omnes diuitias, quæ allatæ cum ea fuerant, sibi apportari fecit.

Itaque diuersis negotiis occurrentibus, quæ Regum etiam animos à proposito retardant, rem explicare impeditus est. Puer etiam infirmitate præuētus, Domina in Monasterio permanente, hominem exiit. Bela quoque requieuit in Domino, & filius eius * *Giso* ei successit in regno: qui videns frustratas esse nuptias sororis suæ, nuncios misit, vt reducerent eam. Sed, illa noluit redire. Secundò & tertio misit. Sed, illa venire noluit. Ad extremum reputans apud se, vi fortasse teneri à rectoribus monasterij sororem suam, indignari aduersus locum, & nisi quanto citius ei redderetur, excidium vastationemque minari. Sed virgo castissimam mentem & corpore ad omne bonum disposita, Deo magis quam seculo adherere cogitabat, apertisque ostiis claustrum cum Abbas in eius deliberatione posuisset, intus manere, vel ad nuncios fratris sui foras egredi; intus manere delegit, & à proposito Virginitatis nunquam recedere.

Rex verò nimio affectu germanitatis circa sororem suam afflictus, cum secundum seculi huius magnitudinem eam sublimare vellet, modò vi, modò astutia, & ingenio eam teneri querebatur, habitoque cum necessariis suis consilio, ire parat in manu forti, eam liberare. Sed viri prudentes & magni, quos in consilio suo habuit, Regem monebant, non ab re, nec citò regno Teutonicorum importari bellum oportere, siue causas belli. Optimum factum esse, vt missa persona publica & honesto comitatu, cum decore & disciplina Dominam re-

peteret: quæ, si inordinatè negaretur, iustas tunc fore causas commotionis. Sed quid multis? Licet ægrè, fracto animo suo Rex audiuit consilium. Mittit Ducem vnum, virum fortem, cognatum suum, & amatorem gloriæ suæ, & cum illo militiam magnam: & ecce ventum est * ad Munti.

** ad Monasterium Admontense.*

Abbas verò & fratres, conspecta multitudine & potentia Legati, rem seriò agi vident, turbantur, præsidia orationis quærunt. Deinde egressi ad Legatos, responsa Tyranni tristes accipiunt, scilicet aut reddant puellam, aut graues Vngarorum inimicitias experiantur. Abbas verò Admontensis, vir dignæ auctoritatis, gnarus ad omnia, & multo pollens consilio mentis ac religione, decus & firmamentum monastici Ordinis ad verba legatorum hæc paucis respondit verbis: *In hac causa, inquit, nihil à nobis perperam actum est, aut agetur. Sed hodie curam corporum vestrorum, quia itinere fatigati estis, velim agam. Crastina dies negotium vestrum expediet. Itaque lauto epularum apparatu, multa que diligentia eis ministravit.*

Hungari repertunt sororem sui Regis.

Oratio Abbatis Admontensis ad Legatos.

Sequenti verò die Abbas ad legatos: *Et quid facietis, inquit, si Domina vestra sponte sua vobiscum venire noluerit? Nunquid inuitam abstrahetis? Nunquid nolenti ac renitenti violentas manus iniicietis? Siquidem hoc regibus ac reginis extremum dedecus est, vi trahi, ad quod nolint, & subiici, quãdo non velint, atq; alienæ voluntati seu violentiæ mancipari: non puto id conuenire ingenue libertati. At illi: Sic est, inquit, & nos eam libertati suæ restituere venimus, & non vim inferre, sed obsequium præstare ad suos redeunt. Denique si ab indigna coactione soluta, suãq; libertati restituta fuerit, sanè quidquid propria deliberatione delegerit, neq; nos, neq; vos prohibere debemus: & Dominus noster Rex Vngarorum munitissimus indecenter, vel contra decus regis sanguinis habitam germanam suam conterinam, causari non poterit.*

Responsum Legatorum.

Placuit sermo Abbati & fratribus, & venientes in atrium Basilicæ ante fores Claustrum, quo Virgo sacra cum Virginibus factis clausa degebat; duos globos faciebant seorsim legati, & milites populusque multus, qui ad spectaculum venerat; & seorsim Abbas cum fratribus & monachis. Reserantur postes, iannæ claustrales panduntur; Regina exire ad nuncios rogatur; Negatilla; nihil sibi & eis dicens; lege se loci it-

Constantia Sophia.

men ianuz, nisi morte obita, non esse transituram. Docetur ergo, quid inter legatos & Abbatem sententia ac rationis de ipsa constiterit, illam de sub claustris in apertum egredi oportere, liberam fieri, coactione solui. Caterum in eius arbitrio locandum, quam viam postea sibi arripere velit.

At illa corpore femineo viriles animos gerens, vbi videt, quia sic necesse est, neque aliter litem decidi posse, pede suo super limen posito; *En, ait, S. MARIA, Domina mea, patrona mea,* *Sophia limen canobij transtura commendat se Deo, Despara S. Blaso.* *mater Domini mei IESV CHRISTI, sponsi mei, salua gratia, & pace tua, te Duce, te comitante, limina tua transeo; te adiuuante & protegente cito reuersura, tibi commendo causam meam, Virgo Virginum; & tu B. Blasi Martyr Christi, Patrone Admuntensium, Domine ac dominator loci huius, qui me a parente meo tibi commendatam, diuina ordinatione in hac tua tecta suscepisti peregrinam: obsecro ne me derelinquas.*

His dictis, flebant Virgines, flebant monachi & fratres. Egreditur illa modesto & lento gradu in medium tendens. Stabant Legati immobiles, vestes tantum ac purpuram gemasque preciosas in seculi cultum eò allatas ei offerentes ac protendentes ad reginae animos pelliciendos. Omnes igitur, qui aderant, immoti stabant, auidè spectantes & oppetientes, quid esset factura, nullo ei aut hinc, aut inde propinquante. Sacrae autem Virgines stabant ardentissimè flentes & orantes, admodum veritè, ne quauis occasione tantum decus societatis amitterent. Itaque vbi liberalitatem, & absolutionem suam in medio posita, satis omnibus ostenderat, ad nuncios conuersa Regia virgo modestè inclinans, valefecit eis. Deinde viâ, quâ venerat, ad sorores rediens, clara voce multam compunctionem omnibus excitans, cantare coepit: *Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsi: Succipientibus ceteris Virginibus, quæ illam in limine stantes opteriebantur; succipientibus & monachis, & prosequentibus eam in gaudio & lacrymis vsque ad introitum ianuz. Omnis quoque populus voces & laudes dedit in excelsis; gratias*

Techna Legatorum.

Sophia salutis Legatis, reuertitur ad Monasterium.

tias agens Deo, quod virgo nobilis & tenera, tam virili mente seculi delicias abiecerat.

Nuncijs quoque non minus alijs Dominum magnificabant, omniaque ornamenta seu vestes, quas ad vsus seculi ei portauerant, monasterio conferunt, & Reginae valefacientes, eiusque orationibus se commendantes in pace & gaudio ad Dominum suum reuertuntur, vt gesta erant, omnia referentes. Mitigatus est Rex vltra desinens à proposito suo reuocare illam. Hæc de initio conuersionis beatæ Sophiae, * quando

* quando.

Sesfridus. Grata nimis & accepta digressio, nempe auri occasione gemmam acceptabilem tuæ manui affixisti.

*De singulari clementia beati Othonis
ad monachos sancti Michaelis.*

CAPVT XLVIII.

Sesfridus.



Ed redi obsecro ad Othonem nostrum, qui omnibus hominibus omnia factus, præcipue autem nobis monachis non solum Pater, sed, vt verius dicam, mater fuit. *Timo.* Credo, inquam, nam & tu me ad viam reuocasti. Senes nostros, vt Patres, venerabatur; iuniores, vel pueros, vt filios diligebat; inter nos quasi vnus ex nobis ambulabat: immemor quandoque potentia & magnitudinis personæ suæ Presbyteris ad altare ministrabat, modò stolam offerens, modò cingulum porrigens præparandis: Aquam etiam manibus illorum manu propria fundens, calicem præbens, & ad cætera ministeria sese plerunque de inopinato ingerens, miris modis omnium in se affectus excitabat; omnes nos facie & nomine

Amor S. Othonis erga Monachos.

Seruit aliquando Presbyteris vtem diuinam facientibus.